

PRAEFATIO

Poggii emendationes suppeditat Laur. xlvi. 22 eius manuscriptus, postea suppletus ex Vaticano (*V*). De qua re in epistula ad Nicolaum missa ipse testatur.¹

Philippicas Ciceronis emendavi cum hoc antiquo codice, qui ita pueriliter scriptus est, ita mendose, ut in iis quae scripsi non coniectura opus fuerit sed divinatione. Nulla est femella tam rufa, tam insulsa quae non emendatus scripsisset, sed scis in talibus me esse satis sagacem. Non potui autem corrigerem omnes quia et duae ultimae deficiunt et in reliquis desunt non nulla . . . Vale, die v Iulii, 1428.

Nicolaus in codicem satis antiquum, Marcianum 268 (saec. xii) quem ipse possidebat, easdem fere correctiones sua manu transtulit. Mixtae igitur recensionis quam non nulli ex recentioribus exhibent Poggium auctorem fuisse manifestum est.

Venio nunc ad Vaticanum (*V*). Huius codicis forma est plane singularis. Scriptus est tribus columnis, more saeculis iv–vi satis usitato, postea obsoleto. Iure igitur suspicatus est L. Traube, vir in hac re peritissimus, antiquissimi cuiusdam exemplaris totidem columnis exarati formam in *V* repraesentari, cui ita credo ut medios quosdam codices eodem modo scriptos inter *V* et antiquissimum illud exemplar intercessisse arbitrer. Cum in *V* versus singuli litteris fere 17–20 constent—de foliis extremis in quibus scriba manu contractiore usus est non dico—, eiusdem mensurae versus in exemplari (sive exemplaribus) unde derivatus est exstitisse veri simile est. Haec ratio in locis a *V* omissis multum valet. Quo in numero duo in se oculos convertunt, ubi vocabuli parte intercisa vulnus patet. Hi

¹ Tonelli, i, p. 216.